



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis Annalium Societatis Jesu In Lusitania

Francus, Antonius

Augustæ-Vindelicorum, M. DCC XXVI.

Annus 1722. Soc. 183.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72313)

Michaël Avelar scholasticus, Didacus Ribeiro novitius, Martinus Rodericus Coadjutor, P. Simon Dinisius; Conimbricæ Josephus Salazar scholasticus, Gregorius Pintus tiro; in Portu P. Sebastianus Parada; Bracharæ Joannes Baptista, & Antonius Fernandus Coadjutores; in Fayalensi Collegio P. Emmanuel Faria; in Madeira Bartholomæus Xaverius Grammaticæ Magister; Scalabi P. Josephus Borgius. In Madeira sanctimonialis divæ Claræ de suo cœnobio exeuntes invadunt possessionem villæ nostræ suburbanæ ob canalem casu ruptum, per quem aqua fluebat in monasterium; at jussu Regis Collegio sua possessio restituitur. Centenario major Scalabi obit Joannes Henriquius Rosa nostri templi benefactor. Eminentissimum Cardinalem Josephum Pereiram ad electionem novi Pontificis euntem Romam duo è nostris sacerdotibus comitantur. Franciscus Coutinius olim de Societate donat Conimbricensi Collegio bonam pecuniæ summam ad exornandum sacrum vestiarium. Calendis Novembris Eboræ collocatur in sacello Juniorum sacrum tabernaculum cum Eucharistia reditu ad flammam perpetuam, & lampade argentea ab uno de nostris sacerdotibus datâ. Die 30. Decembris renunciatur hujus Provinciæ Visitator, & Vice-Provincialis P. Carolus Casnedius Mediolanensis, olim Legionis & Castellæ magni Archithalassi Confessarius, ut suo loco narratum.

Annus 1722. Soc. 183.

Vitam expleverunt, Eboræ P. Joannes Soula, P. Franciscus Ramalius, P. Josephus Amorimus; Ulyssipone P. Antonius Cordeirus; Conimbricæ P. Franciscus Borgius, Josephus Antunius, & Emmanuel Camellus, scholastici; Angræ P. Gaipar Velius; Pontedelgadæ P. Melchior Pintus; in Portu P. Joannes Correa; Fari P. Eduardus Oliveira; Pace-Julii P. Josephus Acunea. Ad Indiam transiverunt octodecim, ad Maranoniã duo, totidem ad Brasiliã, sed unus inde venerat Procurator. Bracharæ ruris pro templi campanis instauratur, additâ prægrandi campanâ. Eboræ, & Conimbricæ tirones deponunt vestes, vulgò sotanas, fulci coloris, & assumunt nigri. Ulyssipone idem jam erat factum anno 1719. In Collegio D. Antonii sunt locata in specialibus sacrophagis cum suis inscriptionibus ossa Ven. P. Joannis Fonseca, & Ven. socii Coadjutoris Antonii Homem. Legati tres Theocasti Regis Fielanecensis in insula D. Laurentii jussu Serenissimi Regis hospitantur in nostra Domo Professa. Octobri cœpta consuetudo ter pullandi æs templi ad salutandam Virginem horis matutinis, & novies vespertinis ad commendandas DEO animas purgatorii. Venit è Maranonia P. Philippus Luisius Procurator, è Sina P. Antonius Magalaniu Imperatoris Legatus ad Serenissimum Regem. Didacus Tinocus Presbyter donavit Collegio Ulyssiponensi D. Xaverii annum redditum ad habendum alterum Latinitatis Magistrum. Mense Octobri apertum est Bracharæ aliud Gymnasium Philosophiæ.

Annus 1723. Soc. 184.

Cum Januario mense extractum de flumine fuisset monstrum marinum tantæ magnitudinis, ut longitudo æquaret 87. palmos; id omni Ulyssiponi spectaculum fuit prorsus admirandum. Nonnullis persuasum prælagisse acutos morbos, qui funestârunt eam urbem; in illis multum eluxit nostrorum charitas diu, noctûque; DEO cunctis prospiciente, ne uni quidem adhæsit pestilens malum. Cum Mauri plurimi essent è Mazagonia veçti Ulyssiponem, ex ipsis sæmina morbo lethali implicatur; existimante plebe pestem esse, jubet Rex Serenissimus deferri Mauros ad stationem dictam *Trafaria*, simul imperat significari Moderatori nostro, opus esse sacerdote de nostris, qui miseris consulat. E plurimis, qui se libenter obtulerunt, designatur unus. Interim compertum est, mauræ morbum à peste diversum. Ideirco Regis nomine Machio Abrantensis per litteras, collaudatâ amplis verbis charitate Societatis, ad-